

BOTANISCHES INSTITUT  
der k. k. Universität.

J. No

B

201/14

J.N.º 2587

B 67/27 <sup>201</sup>/<sub>14</sub>

Mio Clarissimo

Le. Baroni de Targuius filio

in summa observantia  
monumentum

offert

Vindobonae

26 Jul. 1807

Rachor

DE  
DELPHINIO ET AQUILEGIA  
OBSERVATIONES,

QUAS,

MUNIA PROFESSORALIA IN HAC ALMA MUSARUM SEDE INGRESSUS

HERBARUM STUDIO SIS

OFFERT

LUDOLPHUS CHRISTIANUS TREVIRANUS,

MED. ET PHIL. D. BOT. P. P. O. HORT. BOT. DIR. SOCIET. SILES. PRO COMM. PATR.  
NAT. SCRUTAT. BEROL. MEGAPOLIT. PHYSIOGRAPH. LUNDENS. MEMBR. MEGAPOLITAN.  
PRO RE RUST. NATUR. CURIOS. WETTERAV. MEMBR. HONOR.

---

CUM DUABUS TAB. AENEIS.

---

VRATISLAVIAE,  
MDCCCXVII.



DE PHINIO ET AQUILEGIA

OBSERVATIONES

DE

ALIA PROPOSICTIONE IN HUIUS MUSEUM SIBI INVENIENS

HERBARIUM STODIENSIS

OPUS

JUDICIIUS CHRISTIANUS TRIVIANUS

ALIA PROPOSICTIONE IN HUIUS MUSEUM SIBI INVENIENS  
ALIA PROPOSICTIONE IN HUIUS MUSEUM SIBI INVENIENS  
ALIA PROPOSICTIONE IN HUIUS MUSEUM SIBI INVENIENS

CUM DUBIIS SIBI INVENIENS

VIA LATA

MDCCLXXII

---

## L e c t o r i S.

---

**B**otanicæ amoenissimum studium, Medicis ac Philosophis tam veteris, quam mediæ aevi summopere cultum et inter fontes scientiæ salutaris collocatum, nostris temporibus valde neglectum esse, immo, tanquam dulce animi a senioribus feriatæ oblectamentum, plerisque abhorreri, quotidiana heu! nimium docet experientia. Nec sane culpa vacat hodiernus studii methodus, cum Adonides et Botanophili non desistant, stirpium catalogo tam dubios hortorum proventus, quam itinerum festinanter emensorum spolia inferre et certis observationibus sua parum stabilita immiscere: unde specierum notitiam, quæ verum scientiæ fundamentum, labefactari et tandem chaos, post longam laborum seriem non nisi in singulis partibus extricabile nasci, nostra ætas vidit. Ex quo igitur amabile studium delibavimus, semper nobis in votis fuit, ut, omisso novitatis pruritu, ad certiorum specierum jamjam catalogis nostris insertarum cognitionem pro tenuitate virium aliquid conferremus; partim observando tam vivas, quam in hortis siccis conservatas; partim rimando quæ de illis scripserant tam veteres, quam recentiores in arte magistri.

Cum vero immensa pene deterruisset stirpium dubiis obvolutarum copia, optime subvenit Clariss. *Besseri* effatum: Botanices jamjam mole sua laborantis incrementum omne nunc in monographiis generum esse positum \*). Quibus incitati et simul occasionem hanc scribendi honorabilem nacti, generis *Delphinii*, quod prae aliis specierum dubiarum numero obruitur, non quidem monographiam absolutam hic sistimus, attamen observationum eo facientium syllogen exhibemus: quibus alias quasdam in *Aquilegiae* naturali affinitate conjunctum genus subjunximus. Accedunt icones aliquot, licet rudi nostra manu exaratae et ad sicca specimina factae, tamen, ni spes fallit, fidissimae, ideoque tolerabiles, quia stirpes vel horum partes sistunt, circa quas vario modo hallucinatum est.

---

\*) Fl. Galic. I. in praef.

## Delphinium

Char. essentialis.

*Calyx nullus. Petala quinque, quorum summum calcaratum excipit cornu indivisum vel bipartibile nectarii sessilis mono- vel tetraphylli. Capsulae univalves solitariae, ternatae, quinatae.*

Obs. I. Essentialis hujus generis ab Aconito differentia consistit in nectario sessili petaliformi, quod vel monophyllum est et, excepto cornu, quadrilobum in *D. Consolida*, *Ajaxis*, *Aconiti*; vel tetraphyllum, foliolis duobus superioribus postice cornutis, inferioribus ungui impositis longiori vel breviori, superne canaliculato, basin versus tubuloso, quod in *D. peregrino*, *grandifloro*, *intermedio*, *Staphysagria* aliisque locum habet \*). Ne tamen genus, respectu formae nectarii, in plura divellamus, vetat canon *Linnaeanus*: characterem non genus, sed genus characterem dare.

Obs. II. Foliola quatuor modo dicta *Hallero* \*\*) totidem sunt petala interiora in *D. Staphysagria*, *intermedio* aliisque. Horum sola duo superiora *Linnaeus* sub nectario intelligit in speciebus tricapsularibus ideoque nectarium diphyllum tribuit *D. peregrino*, *elato* aliisque \*\*\*): inferiora Illi labella audiunt, quae hinc integra vocat in *D. grandifloro*, bifida in *D. elato*. Ab hac terminologia tamen discedit tum sub *D. peregrino*, cui petala novem tribuit, nectaria inferiora petalorum lateraliu nomine salutans, tum in descriptione *D. elati* †), ubi nectarii labia superiora et inferiora distinguit. Hunc partes designandi modum adoptavit optimus *Gouanus*, in *D. hybrido* suo ††) adnotans nectarium

\*) Conf. tab. nostr. II. litt. b. c. f. g. i. k. n. o.

\*\*) Hort. Goett. ed. 2. p. 93. Stirp. Helvet. p. 93. 94.

\*\*\*) Hort. Cliffort p. 213.

†) Hort. Upsal. p. 151.

††) Illustr. bot. p. 32.

tetraphyllum, nempe compositum e foliolis duobus superioribus et totidem inferioribus. Non tamen sectatores obtinuit. Ita enim Clariss. *M. a Bieberstein* \*) sub labellis non nisi horum par inferius intelligit, superiori autem „galeae“ novum nomen imponit. Alio novo vocabulo *Cl. Willdenovius* \*\*) organa haec petaliformia salutat et „coronam“ vocat, cujus foliola superiora et inferiora describit. Hic clarissimorum virorum dissensus non parum auxit specierum in hoc genere incertitudinem, cui tollendae valde nos inservituros esse puto, si in terminis, quibus *Linnaeus* in Horto Upsaliensi, *Gouanus* in Illustrationibus usi sunt, perseveramus. Distinguimus itaque in speciebus tricapsularibus nectarii foliola quatuor, quorum superiora duo e labello et cornu, inferiora similiter ex ungue et labello componuntur.

Obs. III. Characterem generis *Linnaeanum*, a recentiorum plerisque intactum, infelici successu nuper ita mutatum legimus: „Calyx coloratus 5—6 partitus, lacinia superiore infra calcarata. Petala 2—4, calcare calycino tecta. Capsula erectae solitariae aut ternatae. Semina saepius subhirsuta \*\*\*).“ Mittimus, calycem cum *Jussiaeo* vocari, quod omnium fere consensu corolla est: id autem volumus, illum nec quinque- nec sexpartitum esse, sed semper e foliolis quinque vel sex distinctis compositum. Petala (i. e. nectararia) nunquam duplici numero vidimus, sed vel unum adest, vel quaterna; nec horum non nisi superiora duo in processum, calcare petali vaginatum, abeunt. Capsulae non tantum solitariae vel ternatae, sed etiam quinatae. Denique semina in *D. intermedio*, *fisso*, *grandifloro*, *Staphysagria* aliisque nunquam nisi glabra conspeximus.

Obs. IV. Seminis tamen testa, sicut in *Aconito*, nucleum laxè et multis cum plicis ambit, idque evidentissimum est in *D. fisso* *W. K.* ubi superficies ejus numerosis lamellis sibi incumbentibus contegitur, quod, obiter spectatum, hirsutiem simulat.

---

\*) *Fl. taur. caucas.* II. p. 12. 13.

\*\*) *Enum. pl. h. Berolin.* p. 574.

\*\*\*) *Pohlii Cent. Fl. Bohem.* II. p. 206.



## S p e c i e s

\* Unicapsulares; nectar. monophyllis.

1. *D. Consolida* Linn. Sp. pl. Ed. 2. I. p. 748.

*Delphinium* caule brachito diffuso, floribus sparsis (capsulis ovatis) Hall. Helv. n. 1203. (Hic character valde praestat *Linnaeano* lubrico, a sola caulis divisione desumpto)

Fior Capuccio genus alt. Caesalp. VI. c. 69.

Flos regius sylvetris Dodon. Pempt. II. 3. c. IX. c. ic.

*Consolida regalis* Camer. Epit. p. 521. c. ic. opt.

*Consolida regalis arvensis* C. Bauh. Pin. p. 142.

*Consolida regalis flore minore* J. Bauh. Hist. III. p. 210. c. ic. mediocr.

*Delphinium segetum* fl. caeruleo Tournef. Inst. p. 426. Ponted. Antholog. p. 79.

*Delphinium Consolida* Neck. Gallo-Belg. p. 233. Poll. Palat. II. n. 512. Smith.

Britt. p. 577. Fl. Dan. t. 683. Endl. Schles. Naturfr. VII. t. 48.

Pontedera l. c. ubi florem describit, simul observat: partem floris anteriorem, fructus dum crescere incipiat et gravior evadat, descendere, posteriorem vero i. e. caudam, magis attolli, quo succus in hac contentus ad embryonem transeat. Idem contingere, si flos a rore vel pluvia deprimatur.

Variat  $\beta$ ) caule foliisque pubescentibus,

$\gamma$ ) flore albo, rubro, violaceo, variegato, pleno, Tournef. l. c.

Habitat inter segetes totius Europae ex gr. Sueciae, Daniae, Angliae, Germaniae, Galiciae, Galliae, Italiae; nec non in Graecia minore (*Sibthorp*), in terris mari Caspio adjacentibus (*M. Bieberstein*) et in America septentrionali (*Pursh*), sed huic ex Europa procul dubio inducta.

2. *D. Ajacis* Linn. l. c.

*Delphinium* caule recto spicato (caps. ovato-oblongis) Hall. Helv. n. 1202.

Fior Capuccio Caesalp. VI. c. 69.

Flos regius Dodon. Pempt. II. 3. c. IX. c. ic.

*Delphinium elatius* Clus. Hist. II. p. 205. c. ic.

*Consolida regalis hortensis* I. et III. C. B. Pin. p. 142.

*Consolida regalis erectior* J. Bauh. Hist. III. p. 211. c. ic.

Delphinium hortense Tournef. Inst. p. 426.  
Delphinium sativum Riv. Irreg. Pentap. t. 123.

Variat  $\beta$ ) statura minori, herba magis canescente, floribus minoribus, pistillis ternis.

Delphinium ambiguum Linn. I. c. p. 749.

Non dubitamus, quin sit mera varietas. *Clusii* enim planta, a *Linnaeo* huc relata, cum judicioso Fl. Caucas. auctore (II. 12.) omni jure ad *D. Ajacis* refertur. „Flori succedunt (inquit *Clusius*) singularia, rarius plura cornicula.“ Petalum sextum *Clusii*, quod *Linnaeus* differentiam specificam ingredi jussit, nectarium esse monophyllum descriptio evidenter docet. *C. Bauhini* *Consolidam* regal. hort. II. fl. minore non nisi varietatis lege a prima differre, ex allatis synonymis elucet. *Fontanesius* de hac planta, quam *Linnaeus* e Mauritania oriundam dicit, nil habet in Fl. Atlant. I. p. 427.: nec nisi differentiam *Linnaei* et synonyma in Spec. plant. adducta transscribit. Neque *D. ambiguum* *Lois.* (Addit. ad Fl. Gall. p. 85.) a *D. Consolida* vel *Ajacis* differre videtur, multo minus novam speciem constituit, quam *Cel. Candollius* (Fl. Gall. T. V. p. 64.) *D. pubescentis* nomine salutatur. Characteres enim, quibus illud tum a *D. Consolida* et *Ajacis*, tum a *D. ambiguo* *L.* separare conatur, instabiles esse, cuique facile patet.

$\gamma$ ) floribus omnium colorum, quorum catalogum, si placet, videas apud *Tournef.* (Institut. p. 426—28).

$\delta$ ) flore pleno et semipleno.

Habitare dicit *Linnaeus* „in Helvetia ad maceries“: sed *Hallerus* „exoticam plantam passim in ruderosis Helvetiae provenire“ docet. In Gallia „quasi sponte“ (*Lois.*) „Colitur in hortis Etruriae, quamvis et sponte proveniat in agris“ (*Caesalp.*) „In cultis haud rarum“ (*M. Bieberstein*): sed in Fl. Graeca omittitur. Ignoramus igitur veram patriam plantae, etiam *J. Bauhino* et *Clusio* non nisi cultura notae. Hanc tamen esse Mauritaniam et Barbariam, e supradictis probabile fit.

### 3. *D. Aconiti* Linn. Mant. p. 77. c. descr.

Delphinium nectarii labio 4dentato, ramulis unifloris, capsulis cylindricis.  
*Delphinium Aconiti* Vahl. Symb. I. t. 13.

Habitat in Dardanellis (*Forskäl*).

\* \* Tricapsulares; nect. tetraphyllis.

† Labellis inferior. integris v. emarginatis.

4. *D. grandiflorum* Linn. Sp. pl. Ed. 2. p. 749.

*D. fol. lineari-multipartitis, labellis omnibus indivisis.*

*D. elatius subincanum perenne etc. Amm. Ruth. n. 175.*

*D. nect. diphyllis: labell. integris, flor. subsolitariis, fol. compositis lineari-multipartitis. Linn. Hort. Ups. p. 150. c. descr. Mill. ic. t. 250. f. 1. (Ed. Germ. t. 293. f. 1.) Gmel. Sib. IV p. 187. t. 78.*

*D. virgatum h. Vindob. (quoad specim. inde missa in collect. amicissimi Otto, h. R. Berol. insp.).*

Descriptioni, apud *Ammannum* et in h. Upsal. exstanti, adde: Nectarium corollae concoloris labella superiora ovata integra obtusissima; inferiora quadruplo majora subrotunda, basi barbata. Calcar rectum, apice emarginatum, longitudine petalorum inferiorum.

Huic maxime affine et forte mera ejus varietas est *D. sinense* h. *Gorenk.* Serius tamen florere dicitur.

Habitat in Sibiriae regionibus transbaicalensibus et ad Chilok fluvium (*Ammannus*). In omni Sibiria ad Ochotense usque mare (*Gmelinus*).

5. *D. peregrinum* Linn. l. c.

*D. fol. palmatis, lacin. subdivisis; calcaribus corolla longioribus, labell. superioribus bilobis.*

*Consolida regalis latifolia parvo flore C. Bauh. Prodr. p. 74. c. ic. mediocri. Moris. Hist. III. p. 466. s. 12. t. 4. f. 2. icon melior et satis bona.*

*Consolida regalis peregrina parvo flore J. B. Hist. III. p. 212. c. ic. planta cultae, quoad habitum mediocri, sed quoad florem bona.*

*D. latifolium parvo fl. Tournef. Inst. p. 426.*

*D. peregrinum Desfont. Atlant. I. p. 426. c. descr.*

*Linnaeus* petala novem numerat, nempe praeter nectarium (tria si petalum calcaratum adnumeret) quatuor petala inferiora et duo lateralia. Revera tamen, ut in congeneribus tricapsularibus, nectarium adest tetraphyllum, labell. superioribus bilobis, quorum lobus superior obovatus

bifidus minor, inferior major subrotundus; inferioribus subrotundis ungui impositis praelongo planiusculo, nec ut in *D. Staphysagria*, intermedio aliisque, basi tubuloso. Conf. icon. nostr. t. II. litt. e. f. g.

Variat  $\beta$ ) fol. densius positus, in crebriores et angustiores lacinias divisus.

*D. peregrinum* All. Pedem. II. p. 63. t. 25. f. 3.

Cl. *Allionius* hanc plantam in Enum. stirp. Nicaeensium p. 200. a *Consolida* reg. latifolia parvo fl. C. Bauh. diversam putaverat: postea tamen, *Linnaeum* secutus, cum Ejus *D. peregrino* conjunxit. *Candollius* in fl. Gall. F. V. p. 641. iterum separat nomine *D. juncei* et a *D. peregrino* e Pyrenaeis misso distinctam putat foliorum consistentia magis coriacea, petalorum (i. e. nectar. inferiorum) ungue brevi, lamina ovata vel subrotunda, nec basi cordata. Est tamen, ni fallimur, sola varietas.

Incolit *D. peregrinum* terras calidiores mari mediterraneo adjacentes. „Hispanicum.“ vocat *Parkinsonus*. In agro Nicaeensi invenit *Allionius*, in Ins. Melita, in Sicilia et Italia *Rajus*. Romae ad vias lectum ipse possideo, Neapoli habuerunt *Bauhini*, ex Aleppo *Morisonus*. In asperis et apricis Graeciae et Archipelagi legit *Sibthorp*, inter segetes agri Tunetani et Algeriensis *Fontanesius*.

## 6. *D. Staphysagria* Linn. l. c. p. 750.

*D.* fol. palmatis, lacin. ovatis subincisis; calcaribus corolla duplo brevioribus; labell. integris.

*Staphysagria* Caesalp. XV. c. 31.

*Staphysagria* Matthioli Dalech. Lugd. II. 1629. c. ic. habitum bene exprimente. Dodon. Pempt. III. 2. c. X. c. ic. bona.

*Staphysagria* s. herba pedicularis Cam. Epit. p. 947. Icon quoad habitam figurae Dodonaei postponenda, sed delineatio singularum partium, scil. foliorum, floris et fructus optima.

*Staphysagria* Blackw. ed. Germ. t. 265. (exclusis fig. 3—15. 17—18. 20—21. quae ad *D. intermedium*. Ait. spectant). Riv. Irreg. Pent. t. 125.

*Delphinium* Platani folio Tournef. Inst. p. 428. Hall. Goett. Ed. 2. p. 93.

*Delphinium Staphysagria* Seen. It. Dalmat. descr. n. 2. Willd. Enum. h. Berol.  
p. 574.  
*Delphinium maritimum* Hortul. ex Bessero (Catal. pl. h. Cremenec. Suppl. III.  
p. 28).

Caulis plantae spontaneae villosissimus, pilis longioribus et brevioribus mixtis. Folia longe petiolata. Flores saturate caerulei, in culta dilutiores; calcare petalis duplo, pedicellis triplo et ultra brevioribus. Nectarii foliola superiora petalis breviora sunt, inferiora his longiora. Priorum processus calcariformis brevis subincurvus; labellum longius lanceolatum utrinque sinum, margine superiori vero dentem admittit et in extremitatem obliquam obtusam integram terminatur. Posteriorum unguis semifistulosus est; labellum obovatum submarginatum et, sicut in superioribus, crenatum. Conf. icon. nostr. t. II. litt. m. n. o.

Variat  $\beta$ ) fol. 7 partitis, acuminatis, albo-venosis; corallis minoribus, ex albo sordide caerulescentibus, calcare longitudine pedicelli Linn. Syst. Veg. ed. XII. p. 371.

*Delphinium pictum* Willd. Enum. p. 574. (quoad specimina horti Berolinensis).

Loci natales fere iidem sunt, qui *D. peregrino*: tamen locis opacioribus delectari videtur. Monspensuli, quondam frequens, nunc rarius (*Dalech. Magnol. Gouan*). In Galloprovincia (*Gerard*). In agro Nicaeensi (*Allionius*). In Istria (*Matthiolus*): negante tamen *Cl. Host* (Syn. pl. Austr. p. 296). In Dalmatia (*Seenus*); In Italiae opacis (*Caesalp.*). In Calabriae M. Pollino (*Berger*). Ad pagos in Ins. Creta, praesertim locis umbrosis suburbanis frequens, nec non in Zazintho (*Sibthorp*). In Ins. Minorca; nec non in Syriae M. Libano (*Haller*).

† † Labellis inferioribus bilobis vel bipartitis.

Species hujus subdivisionis difficillime distinguuntur certis characteribus. Omnibus, praeter radicem perennem, caulem subhirsutum, vel s. superiori s. inferiori parte glabrum, folia petiolata, subrotunda, laciniata, flores racemosos, pedunculos bracteatos, commune est: nectarii labellum superius emarginatum vel bifidum, inferioris unguis canaliculatus, basi hinc dentem obtusum exserens, qui terminum designat,

quo tubulus nectariferus brevissimus superne in semicanalem abit, label-  
lum irregulariter quadratum reflexum, supra margineque hirsutum, bilo-  
bum vel bipartitum, lobis oblongo-ovatis.

7. *D. intermedium* Ait. Kew. II. p. 244.

D. fol. lobatis incis; bracteis setaceis flori approximatis; labellis petalo bre-  
vioribus integerrimis.

Radix (ex *Clusio*) tuberosa, nonnihil concava, nigra. Caulis simplex  
vel superne ramosus, strictus, fistulosus, striatus, inferiore parte rore  
glaucio inductus, superne plerumque caerulescens et plus minus pubescens,  
punctis vel granulis flavis pellucidis villo immixtis. Folia supra, exceptis  
venis, glabra, subtus margineque pilosa, petiolis elevantur triquetris,  
superne canaliculatis, basi parum dilatatis. Sunt ambitu subrotunda,  
quinqueloba, fissuris ultra medium disci productis, lobis baseos nunc re-  
cta oppositis, nunc approximatis, omnibus rhombico-ovatis trifidis  
incis. Superiora gradatim simpliciora fiunt et sic in bracteas mutantur.  
Racemus florum terminalis, saepe etiam plures laterales adsunt. Pedun-  
culi sub flore incrassati, quorum inferiores de axilla bracteae lineari-seta-  
ceae exeunt. Aliae duae vel tres similes, sed minores, eademque colo-  
ratae bracteae ipsi pedunculo insident, quarum inferior solitaria mediam,  
superiores suboppositae superiorem ejus partem tenent, nec tamen  
florem attingunt. Corolla atro-caerulea, dilutioris tamen coloris, ubi  
planta laetius vegetat, extus pilis et atomis flavis obducta. Petala obtusa,  
plana, calcare nunc recto, nunc deorsum curvato, subinde crispo paulo  
breviora. Nectaria petalis constanter multo breviora, fusca, tetraphylla;  
superiorum lamina emarginata, nuda, margine, praeprimis antrorsum,  
ciliata; inferiorum ungue unidentato, labello bilobo, e medio et mar-  
gine, ceterum integerrimo, pilos luteos exserente. Styli plerumque gla-  
bri, rarius pilosi; pariter capsulae. Semina angulata, rugosa.

Haec est descriptio plantae, quae Silesiae nostrae montes altiores,  
inhabitat. Hujus synonyma sunt:

Aconitum Lycoctonum Clus. Pannon. p. 404. fl. Delphinii I. Silesiacum Hist. II.  
p. 94. c. ic.

Aconitum Lycoct. caeruleum calcari magno J. B. Hist. III. p. 657. c. ic.

Aconitum caerul. hirsutum fl. Consolida regalis C. B. Pin. p. 183.

Acon. Lycoct. fl. Delphinii latifolium Besl. Eyst. Aest. Ord. I. tab. undec. f. 1.  
Delph. perenne Aconiti fol. ampliori etc. Amm. Ruthen. p. 131. Hall. Goett. p. 93.

- Delphinium rad.* cava, fol. latioribus trilobatis var.  $\alpha$ . Hall. Enum. p. 314.  
*Delphinium trisiliquum* fol. semiquinquelobis etc. var.  $\alpha$ . Ejusd. Hist. st. Helv. n. 1201.  
*Delphinium nect.* diphyllis etc. var. III.  $\alpha$ ,  $\beta$ . Gmel. Sibir. IV. p. 187. t. 79. 80.  
*Delphinium nect.* diphyllis etc. Mill. Icon. ed. Germ. t. 119.  
*Delphinium elatum* Mattuschk. Enum. Stirp. Siles. n. 497. Krock. Fl. Siles. II. n. 833. Kniph. Cent. VI. n. 35. Schkuhr. Ench. bot. II. p. 84. t. 145. (pl. hortensis flor. dilutioribus, quam in sylvestri, quod auctor aetati plantae proveciori tribuit).  
*Delphinium intermedium* Host. Syn. pl. Austr. p. 295. c. descr.  
*Delphinium alpinum* W. et Kit. pl. rar. Hung. III. t. 246.  
*Delphinium intermedium*  $\beta$ . alpinum Wahlenb. fl. Carp. n. 530.

Pro diversitate autem coeli, aetatis, nec non soli, quod planta inhabitat vel in quo culta est, mire variat et singulares formas induit, quarum plures varia nomina apud auctores sortitae sunt et quarum maxime notabiles hic recensebimus:

$\beta$ ) Caule glabro; fol. glabriusculis; flor. saepius saturate violaceis.

- Delph.* lusitan. glabrum Aconiti fol. Rol. Ind. pl. h. Kraus. p. 61. t. 3. (Huc, nec cum *Linnaeo* ad *D. grandiflorum*, referendum est, excluso tamen synonymo *Tournefortiano*).  
*Delph.* nect. diphyllis etc.  $\alpha$ . Linn. H. Upsal. p. 151. (caul. laevis humanae altitudinis; fol. glabra).  
*Delph.* nectar. diphyllis etc. var. I.  $\alpha$ . Gmel. Sibir. IV. p. 187. t. 75. (in quibusdam ad *D. flexuosum* accedit).  
*Delph.* nectar. diphyllis etc. Mill. Icon. (ed. Germ.) t. 293. f. 2. (differt flor. dilute caeruleis).  
*Delph.* siliquis ternis etc. Hall. Goett. p. 94. (fol. glabra).  
*Delph.* hybridum Gou. Illustr. p. 33. (caules foliaque glaberrima. *Linnaeus* pro hybrida prole *D. elati* et *Acon. Napelli* habuit, ut e litteris Ejus ad *Gouanum* patet).  
*Delph.* exaltatum Ait. Kew. II. p. 244. (caulis foliaque glabra). Pursh Flor. Americ. Sept. II. p. 371.  
*Delph.* tridactylum Mich. Fl. Bor. Amer. I. p. 314. (fide *Purschii* huc pertinet, nec descriptio contradicit. „Folia glabriuscula“).  
*Delph.* anomalum Spreng. (quoad specimen ab amiciss. Viro communicatum).  
*Delph.* americanum Hortul. (ex *Bessero*, Cat. pl. h. Cremenec. Suppl. III. p. 28).

$\gamma$ ) Caule foliisque hirsutis; lorum folii laciniis angustioribus; floribus dilute caeruleis; labell. quoque superioribus bifidis barbatis.

- Delph. elatum Lois. Fl. Gall. I. p. 318.  
Delph. intermedium Ejusd. Additam. p. 86.  
Delph. montanum Decand. Flor. Franc. T. V. p. 641. (quoad specimina, quae coram habeo, a b. viris *Rohde* et *Berger* in Pyrenaeorum valle d'Eynes lecta).

δ) Caule foliisque hirsutis, flor. maximis.

- Delph. orientale lato Aconiti folio, flore magno Tournef. Cor. p. 30.?  
Delph. speciosum M. Bieberst. Caucas. II. p. 12. (quoad descriptionem auctoris et specimina h. Berolinensis).

ε) Folia loborum margine subinvoluta; floribus dilute caeruleis.

- Delph. urceolatum Jacq. rar. t. 101. Coll. I. p. 153. c. descr.

ζ) Foliis trifidis, basi cuneiformi.

- Delph. perenne etc. var. β. Hall. Goett. p. 93.  
Delph. cuneatum Spreng. (quoad specimina, e seminibus h. bot. Halensis educata).

η) Folia lacin. latioribus minus distinctis, quo in casu etiam petala latiora et obtusiora esse solent.

θ) Folia lacin. longioribus minus incis; petalis simul longioribus et angustioribus; labellis superioribus bifidis.

- Delph. elatum Willden. Sp. pl. II. p. 1229. (quoad specimen ab amicis. *Otto* communicatum).

- Delph. elatum Act. Kew. II. p. 244.?

ι) Floribus, excepto cornu, ochroleucis; petalis simul angustioribus, apice inflexo. (Haec varietas primo distinctam speciem simulat, sed aliam possideo pet. l. apice tantum discoloribus seu ochroleucis, quae transitum in formam vulgarem evidenter demonstrat).

κ) Floribus duplo minoribus, amoene caeruleis.

- Delph. amoenum h. Erford. (Quoad specimen a Cl. *Bernhardio* missum).

λ) Calcere apice bifido.

- Delph. nectar. diphyllis etc. var. I. β. Gmel. Sibir. IV p. 187. t. 176.

Ad quamnam harum pertineat Delph. orientale perenne Aconiti folio fl. albo et caeruleo Tournef. Cor. p. 30. e caractere brevissimo dijudicari nequit.



Has omnes unius ejusdemque speciei varietatis esse sollicita et iterata inspectione edocti sumus. Characteres enim distinctioni succurrentes, saepe terminis exprimi vix possunt; plerumque etiam plures eorum vario modo et gradu combinantur, ut, ad quamnam formam pertineat individuum, quod coram est, vix ac ne vix quidem dicas.

Incolit convalles montium altiorum umbrosas, rivis percursas terrae continentis hemisphaerae borealis inter gradum latitudinis 40 et 55. Lectum enim est in Pyrenaeorum valle d'Eynes (*Rohde, Berger, Decandolle*), in Sabaudiae alpium convallibus (*Allioni*) in Helvetiae variis montibus (*Haller*) in Silesiae Com. Glazensis montibus altioribus ad rivulos ex. gr. in valle Wölfelsgrund, qua in M. Schneeberg adscenditur (*Seliger, Guenther*) in montibus territorii Freywaldensis Siles. Austriacae (*Clusius*), ibidem haud procul oppido Freudenthal (*Jacquinus*), ad rupes Carpathorum subalpinas et inferalpinas (*Wahlenberg*), in Pannoniae convallibus alpinis (*W. et Kitaibel*), in Caucasi alpe Kaischaur (*M. Bieberstein*), in regionibus juxta Uralenses montes et ad Jaicum fluvium (*Ammann*), in omni Sibiria usque in Camtschatkam (*Gmelinus*), in rupestribus umbrosis montium Virginiae et Carolinae (*Michaux, Pursh*).

8. *D. flexuosum* M. Bieberst. taur. caucas. II. p. 13.

Delph. fol. lobatis incis; bract. oblongis connatis flori contiguis; labell. petalo brevioribus crenatis.

Icon. nostr. t. I. et t. II. litt. a. b. c. d. (sec. specimen causicum e collect. amiciss. Otto).

Caulis flexuosus, angulatus, in speciminibus nostris omnino glaber, superne ramosus, rubicundus, fartus. Folia petiolata, petiolo supra plano, basin versus pilis longis ciliato, superiorum brevissimo. Sunt porro subrotundo - cordata, quinqueloba, lobis ovato - rhombeis, arte et profunde serratis; utrinque glabra vel venis tantum et margine pilosa. Florum racemi plures caulem terminant, pedunculi communi pariter flexuoso, partialibus pollicaribus glabris, saepe pluribus ex uno puncto. Bractee pro more tres adsunt oblongo-lanceolatae, obtusae, plerumque ciliatae; harum una pedunculum sustentat, duae autem minores, oppositae, basi sua subconnatae et flori tanquam calyculus immediate subjectae sunt, quod characterem optimum hujus speciei praebet. Floris color et magnitudo ut in *D. intermedio*. Petala plana, obtusa, glabra,

calcare recto parum breviora. Labella fusca; superiora acuta, bifida, glabra; inferiora pilis flavis medio margineque ornata, bipartita, lacin. semiovatis, margine exteriori dentatis. Styli glabri. Capsulae reticulato-venosae.

Habitat in Caucaso Ibericō (*M. Bieberstein*).

9. *D. lilacinum* Willd. Suppl. pl. h. Berol. p. 39.

Delph fol. quinquelobis trifidis, lacin. subintegrif; bract. setaceis flori approximatis; germin. tomentosif.

Ambigit inter *D. intermedium* Ait. et fissum W. K. et forte prioris varietas est. Quantum tamen e specimine h. Berolinensis ab amicissimo *Otto* communicato judicare licet, ab utroque distinctum statura minori et stylis tomentosif. Differt insuper a *D. intermedio* foliorum laciniis lanceolatis integrif, cornu recto longitudine corollae; nectarii labellis corollae concoloribus, illamque aequantibus; a *D. fissio* autem petiolis non vaginantibus, sed basi parum dilatatis, nec non glabritie inferioris plantae partis. Caulis praeterea est teres, centro fistulosus, inferne halitu glauco, superne villo brevi crispo obductus; folia subtus vix pubescentia, superiora tripartita, lacin. trinerviis; bracteae ut in *D. intermedio* et fissio; flores dilute caerulescentes, minores quam in *D. intermedio*.

Locus natalis etiamnum latet.

10. *D. fissum* W. Kitaib. pl. rar. Hung. I. t. 81.

Delph. fol. multipartitis linearibus; petiol. vaginantibus; bract. setaceis approximatis; nectario exserto; germinibus glabris.

Delph. nectar. diphyllis etc. var.  $\gamma$ . Linn. Hort. Upsal. p. 151? (Nigricantem vocat nectarii limbum).

Delph. nectar. diphyllis etc. var. II.  $\alpha$ . 1. Gmel. Sibir. IV. p. 187. t. 77. (excluso synonym. Ammanni).

Delph. hybridum W. Sp. plant. II. p. 1229. *M. Bieberst* Caucas. II. n. 1050. (Est, sicuti suspicatur sagaciss. auctor, omnino eadem planta vel potius ejus variatio tota hirsuta, ut Caucasicam, quae coram habemus, specimina docent).

Delph. hirsutum Pers. Syn. II. p. 82. (Sola mutatio nominis, eaque non laudanda, cum alia nobis jam sit species, a Cl. Rothio sic denominata).

Descriptioni a *Schultesio* (Flor. Austr. Ed. 2. II. n. 1796.) exhibitae, haec adde: Caulis flexuosus, nunc basi villosus, superne glaber; nunc ad summitatem usque cum ipsis corollis villosus, villo molli deflexo. Folia multipartita, lacini basi angustissimis, ut fere composita dici possent; omnia petiolata, petiolis longioribus, quam in *D. intermedio*, teretibus, superne sulco exaratis. Pedunculi ad basin una, paulo supra medium duabus bracteis lineari - setaceis. Flores azurei. Nectarii labella nunc tota caerulea, nunc basi, nunc apice albida; superiora bifida nuda, inferiora bipartita, villosa, marginē exteriorē obtusissime repando dentata. Styli plerumque glabri. Semina lamellosa, ob multas plicas tenuissimas a testa formatas.

(Variat  $\beta$ ) coroll. ochroleucis. *M. Bieberst. l. c.*  
Delph. nectar. diphyllis etc. var.  $\beta$ . *Linn. H. Ups. p. 151.?*

Habitat in *M. Domuglet*, ad sinistram fluvii *Cserna* ripam prope *thermas Herculis (W. Kitaibel)*; in *Tauria* et *Caucaso demissiore (M. Bieberstein)*.

II. *D. puniceum* *Pall. It. P. III. p. 736. descr. n. 96.*

*Delphinium* fol. multipartitis linearibus; bract. infra medium pedunculi; nectario petalis longiore; germ. tomentosis.

*Aconitum Lycocot* flore *Delphinii* *H. Clus. Hist. II. p. 95.* (Unique huc pertinet ob caulem flexuosum, folia lineari-multifida, petiolos longos vaginantes, flores purpureos, nectarium petala superans).

*Delph. puniceum* *Linn. Suppl. p. 207. M. Bieberst. Caucas. II. n. 1051.*

Descriptioni a *Cel Pallasio* l. c. datae haec addimus: Pedunculi bracteis tribus, ut mos generis, instructi. Harum inferior axillam format; reliquae in speciminibus tam spontaneis, quam cultis, quae coram habeo, constanter infra medium pedunculi insertae sunt: hinc *Linnaeus* filius: „bractea ad basin corollae nulla.“ Calcar petalis longius, apice nunc recto, nunc sursum vel deorsum directo. Nectaria petalis longiora, illisque concolora, basin versus dilutiora; superiorum labello bifido nudo; inferiorum pilis albis hirsuto bipartito, laciniis lanceolatis aequalibus integerrimis. Styl. in fructu maturescente saepius divergentes. Germina tomentosa. Conf. iconem nostr. t. II. litt. e. f. g.

Ceterum Delphinio Guelin. Sibir. IV. t. 77. hoc simillimum esse, *Pallasius* l. c. jam monuit et sane haec similitudo tanta est, ut vix specie separare liceat. Idem enim habitus, eadem caulis, petiolorum, foliorum et florum conformatio. Differt tantum bracteis infra pedunculi medium insertis, florum colore atropurpureo et stylis pubescentibus vel tomentosissimis; Corollae calcar resupinatum emarginatum inter characteristicas quidem notas assumpsit Illustr. Fl. Caucas. auctor: sed hic conformationis modus, etiam in *D. fisso* occurrens, minime constans est, ut supra monuimus: nec minus Delphinium intermedium variat calcare recto, acuto, emarginato; apice sursum vel deorsum directo.

Habitat in aridissimis deserti circa Volgam maxime australem, praesertim in convallibus monticulorum circa salinas Tchapschatschi (*Pallas*); in campestribus ad Caucasum hinc inde (*M. Bieberstein*).

\*\*\* Quinquecapsulares; nectar. tetraphyllis.

12. *D. pentagynum* Lam. Encycl. II. p. 262.

*Delphinium* fol. lineari-multipartitis; labell. superioribus indivisis, inferioribus bilobis.

*Delph. lusitan.* glabrum *Aconiti* folio. Tourn. Inst. p. 426. (Monente Cl. *Desfontaines* fide herb. Vaillantiani huc pertinet).

*Delph. pentagynum* Desfont. Fl. Atlant. I. p. 427. t. III. (*Willdenovius* in Sp. plant. II. p. 1231. descriptionem plantae e *Fontanesio* mutuavit, floris autem, quo fato nescimus, plane omisit).

Habitat Algeria inter segetes (*Desfontaines*). In Lusitania (*Tournef.*).

### Species inquirendae.

\* Unicapsulares; nectar. monophyllis.

*Delph. tenuissimum* Smith. Prodr. Fl. Graec. I. p. 370. Icon. t. 505. Ad *Delph. Consolidam* valde accedere videtur; tamen differt „ramulis capillaribus divaricatis.“

\* \* Tricapsulares; nectar. tetraphyllis.

- Delph. halteratum* Smith. l. c. I. p. 371. Icon. t. 507. Delphinio peregrino L. nimis affine: differre dicitur: „statura majori, fol. magis divisis, petalis infimis patentibus, nec conniventibus.“ An *D. junceum* Dec.?
- Delph. tricorne* Mich. Fl. Bor. Amer. I. p. 314. Pursh. Fl. Amer. Septentr. II. p. 371. Ob „staturam pumilam (octo pollium P.), fasciculum pauciflorum, capsulas arcuatas subreflexo-patulas“ perquam distincta species videtur.
- Delph. azureum* Mich. l. c. Pursh. l. c. Species ob „folia lineari-multipartita, pedicellos breves, cornu sursum arcuatum, petala villosissima, flores amoene caeruleos“ *D. fisso* proxima.
- Delph. Requierii* Decand. Fl. Franc. T. V. p. 642. Descriptio manca. Bracteis in medio pediellorum, nec apice vel basi collocatis a ceteris omnibus speciebus differre dicitur.
- Delph. dahuricum* Bess. Catal. pl. h. bot. Cremenec. Suppl. III. p. 9. „*D.* (nectar. tetraphyllo) galeae phyllis inaequalibus ellipticis, labelli amplissimis, genitalia abscondentibus, subrotundis, crenulatis, basi barbatis; fol. mollibus, tri-subquinquepartitis, latius cuneatis, subtrifido-inisodontatis. Petala colore et magnitudine ut in *D. urceolato*, nectarium violaceum. Perenne.“ Ita Besserus, in Suppl. IV. p. 8. addens, eandem plantam esse *Delph. cheilanthum* h. Gorenk.
- Delph. pseudo-peregrinum* h. Gorenk. ex Bess. Catal. pl. h. Cremenec. Suppl. IV. p. 8.
- Delph. spurium* h. Gorenk. Bess. l. c. An *D. speciosum* M. Bieberst? Hoc enim in herbario b. *Willdenovii* sub nomine *D. spurii* asservari, in litteris nos edocuit amiciss. *Otto*.

# Aquilegia

Char. essentialis.

*Calyx nullus. Petala quinque. Nectaria totidem calcarata, cum petalis alternantia. Capsulae quinque univalves polyspermae.*

Obs. I. Et in hoc genere nectaria e calcare et labello seu lamina componuntur: male itaque Cl. *Willdenovius* in Enum. pl. h. r. Berolin. p. 577. sub nectario nunc calcar, nunc laminam intelligit.

Obs. II. Seminis testa nucleum arcte ambit, quem in Delphinio et Aconito multis cum plicis includit.

S p e c i e s

\* *Calcaribus incurvis.*

1. *A. vulgaris* Linn. Sp. pl. Ed. 2. I. p. 752.

*Aquilegia* labellis stamina subaequantibus, calcare brevioribus; foliolis petiolatis, lobatis.

*Aquilegia* Caesalp. XV. c. 38.

*Isopynon* Dioscoridis Column. Phytobas. p. I. c. ic. opt.

*Aquilegia sylvestris* et *hortensis* C. B. Pin. p. 144. Tourn. Inst. p. 428. Garid. Pl. d'Aix t. 8.

*Aquilegia* fol. trilobatis etc. Hall. Helv. n. 1195.

*Aquilegia vulgaris* Poll. Palat. II. n. 513. c. descr. Fl. Dan. t. 695. Endl. Naturfreund V. t. 22.

Variat  $\beta$ ) caule superne pedunculisque viscosis.

*Aquilegiae vulgaris* var. Wallroth. Ann. botan. p. 72.

Vidimus quoque plantam „in pratis ad pedes montium in Hungariae valle Szúlov Comitatus Trentschin“ a D. *Rochelio* lectam et sub nomine *A. viscosae* missam, quae tamen ab *A. viscosa* L. Monspeliaca diversissima est, et ob habitum, ob foliorum florumque conformationem, cum *A. vulgaris* conjugii debet, a qua non differt, nisi caule superne viscoso, petalis angustioribus, labellis stamine brevioribus. An haec *A. viscosa* W. et Kit. Pl. rar. Hung. II. t. 169?

$\gamma$ ) Flore diversimode pleno et omnium colorum; unde innumerae varietates, quarum nomina, si lubet, videas in C. Bauhini et Tournefortii locis citatis; icones autem apud Lobelium et Barrelierum, nec non in horto Eystettensi.

$\delta$ ) Floribus magnis caeruleis; nectariorum oris flavis vel albis. *Aqu. orientalis viscosa*, flore magno, partim caeruleo, partim albo Tournefort. Cor. p. 30.

*Aqu. nectarialis incurvis* etc.  $\beta$ . *sibirica* Linn. Hort. Upsal. p. 152.

*Aqu. vulgaris speciosa* Ait. Kew. II. p. 247.

*Aqu. bicolor* Ehrh. Beyr. VII. p. 146.

Conferatur quoque *A. praecox* Pers. Syn. II. p. 85. quae forte *A. canadensis praecox* procerior H. R. Paris. Tournef. Inst. p. 429. Boerh. Ind. alt. I. p. 304.

$\epsilon$ ) Flore quadruplo minori.

Talem „in dumetis ad latus meridionale montium schistosorum, quibus thermae Cudowenses Comitatus Glaz a septentrione includuntur“ legit Nobiliss. ab *Uechteriz* et nobiscum, pro sua in nos benevolentia, communicavit. Huic caulis cum petiolis hirsutior, quam in vulgari forma, praesertim superne, nec tamen viscosus. Folia subtus, praesertim ad venas, pilosa. Flores complures in caule et ramis, dilutissime caerulei; petalis vix stamina supereminentibus; labellis stamine brevioribus, albidis; cornubus incurvis.

*Aquilegia vulgaris* *S. dahurica* Willd. Sp. pl. II. p. 1246.?

*Aquilegia montana* parvo flore Thalictri folio *C. Bauh. Prodr.* p. 75.

Licet haec vix aliter, nisi caule unifloro, a nostra differat: diffidenter tamen eam huc referimus ob summa, quibus premitur, dubia. Nulli enim praeter *C. Bauhinum* visa fuit planta, quam „in Helvetiorum alpebus et copiosissime in Moravia prope urbem Trebis sub arce Smilo in pratis vernali tempore“ reperiri asserit. *J. Bauhinus* enim verba fratris transcribit nihil addendo. *Rajus* (Hist. 707.) synonymon *Aquilegiae* fol. Thalictri, floscul. minutissimis albis *Menzel. Pug. rar. t. 8. f. 1.* subjunxit, observans: non aliter videri hanc *Menzelii* plantam ab *A. mont. parvo flor. C. B.* quam floris colore (quae illi caeruleus est) differre. His permotus *Morisonus* ex icone *Menzelii* et descriptione *C. Bauhini* *Aquil.* suam montanam parvo fl. Thal. fol. (Hist. III. s. 2. p. 45\*. t. 1. f. 5.) consarcinavit. Plantam, hoc modo obscuratam et confusam *Linnaeus* ad *Isopyrum*, *aquilegioides* dictum, citavit; quem secutus est, quamvis dubitanter *Hallerus*, simul descriptionem *C. Bauhini* excerptendo. Aliquam lucem his tenebris intulit *Cel. Lachenal*, qui in *Acto Helveticorum* T. VIII. t. 5. secundum iconem pulchram, cum planta sicca *C. Bauhini* adservatam, hanc delineari curavit: ex quo patet, vere *Aquilegiae* speciem esse, quam ad *Aqu. viscosam* L., caule et flore omnino diversam, retulit. E contrario *Menzelii* planta „in Apennini locis petrosis et in Alpebus circa Tridentum“ lecta, licet auctor „non tantum folia et radículas, sed etiam flores valde exiguos cum *Aquilegia* convenire“ asserat, ab *Isopyro thalictroide* L. tamen vix differt: habitus enim et folia eadem, et, quod aliis in icone florem, nobis potius fructum exprimere videtur. Descripsit quidem nuperrime *Cel. Sprengelius* herbam in *M. Apennino* lectam, sub nomine *Isopyri aquilegioidis* L. *Pugill. rar. I. p. 40.*) synonyma *Linnaeana* excludens, praeter *Morisoni* (qui tamen descriptionem e *C. Bauhino* desumpsit) et *Menzelii*.



Sed in descriptione nil reperimus, quo ab *I. thalictroide* differat, praeter stipulas, quarum non nisi rudimenta adesse dicuntur et petala acuta. Denique monendum est, *Cel. Salisburium* in Act. Soc. Linn. Lond. Vol. VIII. p. 306. ubi species *Isopyri* enumerat, *I. aquilegioides* L. omisisse, quod itaque vel cum *I. thalictroide* conjungendum, vel e plantarum numero omnino excludendum videtur.

Habitat *A. vulgaris* in totius Europae tam australioris, quam septentrionalis nemorosis copiose ex gr. in Suecia, Dania, Germania, Anglia, Gallia, Helvetia, Italia (*Caesalpinus*, *Columna*), Graecia (*Sibthorp*). Etiam in Asiae Caucaso Iberico observatur (*M. Bieberstein*) et in Sibiria.

2. *A. viscosa* L. Mant. I. p. 77.

*Aquilegia* labellis stamine longioribus, calcaris longitudine; foliol. sessilibus lobatis, summis linearibus; caule viscoso.

*Aquil. hirsuta* flore viscoso Magn. Bot. Monsp. p. 26.

*Aquil. viscosa* Gou. Fl. Monsp. p. 267. c. descr. Ejusd. Illustr. p. 33. c. descr. et t. XIX. Icon haec statum plantae seminiferum exhibet et Cl. auctor flores se vidisse negat: hinc aliam plantae florentis adjecimus in tab. nostra II.

*Aquil. viscosae hungaricae* (W. Kit. rar. Hung. II. t. 169.) iconem non vidimus: conferantur tamen, quae ad *A. vulgaris* var.  $\beta$ . adnotata sunt. Pariter *A. viscosam* All. Fl. Pedem. II. n. 1506. quam in umbrosis alpinis Garrexi Cl. *Dana* et in alpinis Tendae et Vinadii Cl. *Bellardi* legerunt, huc revocare non audemus.

Vix ac ne vix quidem persuasi, hanc specie vere distinctam esse ab *A. vulgari*, separavimus tantum *Magnolii* et *Gouani* auctoritate inducti. Jam enim *Morisonus* monuit, (Hist. III. p. 457.) *Magnolii* plantam, demta caulis lanugine, florumque viscositate, vulgari *Aquilegiae* similem esse et in Syst. Veget. Ed. XIV. p. 505. legimus, e seminibus *A. viscosae* *Monspeliensis* a *Gouano* missis *A. vulgarem* enatam esse. Statura tamen plantae spontaneae multo minor, quam *A. vulgaris*. Omnes superiores ejus partes, ne flore quidem excepto, pilis glutiniferis (non tamen capitatis) scatent. Foliorum radicalium petiolus ultra medium in tres ramos dividitur, quorum singulus foliolum tripartitum seu foliola tria sessilia, triloba sustentat. E contrario in *A. vulgari* quilibet ramus iterum in tres ramulos finditur, quorum singulo foliolum tripartitum insidet. Caulina inferiora radicalibus similia, sed foliolis seu folioli partibus oblongis sub-

integris; superiora ternata, foliolis linearibus; summa simplicia. Flores duo s. tres caulem terminant, iis *A. vulgaris* similes: sed nectarii calcaribus minus incurvis, labio longiori.

Variat  $\beta$ ) caule breviori simpliciusculo, flore majori.

*Aquilegia alpina* Lam. et Dec. Fl. Fran. Tom. IV. n. 4673.

*Aquilegia pyrenaica* Decand. Ibid. T. V. p. 640.

Ob foliorum florumque conformationem et caulem subviscosum omnino huc pertinet quoad specimina, in Pyrenaeis altioribus a b. *Bergero* lecta, quorum inspiciendorum nobis copiam fecit amiciss. *Guentherus*. Distinxit tamen nuperrime *Cel. Candollius*, non quidem ab *A. viscosa*, sed ab *A. alpina*: quia hac omnibus in partibus duplo minor sit, caulem nudum habeat 1-2florum, calcar omnino rectum, labellum aequans, nec, ut in *A. alpina*, duplo brevius etc.

Habitat Monspeli *„prope urbem Meyriols, ultra montem Esperou secus fluvium“ (Magnol) „au Vigan“ (Gouan)*. In sylvis alpium Provinciae (*Loiseleur*). Specimina etiam vidimus in M. Ventoso, nec non in Italia *„inter Pontiebo et Rissiota“* lecta, quorum ad unum iconem nostram delineavimus.

3. *A. alpina* Linn. Sp. pl. Ed. 2. II. p. 752.

*Aquilegia* labellis stamine calcareque longioribus; foliolis sessilibus fissis, summis linearibus.

*Aquil. montana* magno flore C. B. Prodr. p. 75.

*Aquil. fol. trilobatis*, lobis tripartitis linearibus, caule paucifloro Hall. Helvet. n. 1196.

*Aquil. alpina* Allion. Pedem. II. p. 64. t. 66. Ehrh. Beytr. VII. p. 146.

Et haec in plurimis cum *A. vulgari* congruit. Caulis superne pilosus, pilis subinde glutiniferis, qui igitur character perquam fallax est. Folia tamen alio modo divisa sunt, ac in *A. vulgari* vel *viscosa*: laciniis nempe angustioribus, rectilineis, nec rotundatis. Biternata sunt, foliolis nunc basi confluentibus, nunc distinctis et tunc intermedio pedicellato, lateralibus sessilibus. Caulina superiora foliolis gaudent lanceolato-linearibus integris summa simplicia sunt. Flores caerulei plerumque duo in apice caulis, majores quam in *A. vulgari*, calcar autem breviori, nec tamen

recto, ut vult cum *Linnaeo Ehrhartus*, sed pariter incurvo, ut optime monet *Hallerus*: incongrue *Reichurdo* in Spec. pl. Ed. 2 dubitante, cum forte Cl. vir de *A. viscosa* loquatur.

Synonymon *Gmelini* (Fl. Sibir. IV. p. 185.) utpote dubium, omittimus: nectarii limbos enim vocat diversicolores, quod in *A. alpina* locum non habet, et foliola longiora latioraque, ac in *A. montana* magno flore *C. Bauh.* An *A. vulgarem*  $\beta$ . *sibiricam* *L.* intelligit?

*Allionii* plantam eandem esse dubitari posset, si sola icon adspiciatur, quae foliola lateraliter petiolata exhibet: sed in descriptione Cl. auctor illa sessilia vocat et hoc modo speciem, praeter alia, ab *A. vulgari* distinguere docet.

*Haenkii* *Aquilegia alpina* (Jacq. Coll. II. p. 39.) e Carinthiae et Tyrolis alpebus petita, licet descriptio cum *A. alpina* *L.* bene quadret, nec viscositatis caulinae mentio fiat, a *Cel. Host* (Syn. pl. Austr. p. 298.) tamen ad *A. viscosam* refertur.

*Lamarkii* *A. alpinam* e Pyrenaeis potius ad *A. viscosam* pertinere, supra monuimus.

Vero hinc non absimile est, *A. alpinam* *L.* in solis Helvetiae et Sabaudiae alpebus provenire. In monte prope thermas Fabarias (Leukerbad) copiosam legit *Burserus* et *C. Bauhino* attulit. Supra vallem alpinam Waldnacht legit *Scheuchzerus*; in pluribus *Aquilegiensium* et *Rhaetiae* montibus *Hallerus*; in Sabaudiae variis alpebus *Allionius*.

\* \* Calcaribus rectis.

4. *A. canadensis* *Linn.* l. cit.

*Aquilegia* labellis petalo obtuso brevioribus; staminibus ultra petalum elongatis.

*Aquil. pumila praecox canadensis* *Corn. canad.* p. 59 ic. p. 60.

*Aquil. nectar rectis*; staminibus corolla longioribus *Linn. Hort. Upsal.* p. 153. cum ceteris synonymis.

*Aquil. canadensis* *Kniph. Bot. Cent.* XI n. 8. *Schkuhr. Enchir.* II. p. 90. t. 146. *Pursh. Fl. Amer. Sept.* II. p. 372.

Perennem vocant *Linnaeus* et *Purschius*, qualem et nos semper vidimus; *Boerhaavius* in *Ind. alt. pl. h. Lugd. Bot.* p. 204. asserit, biennem esse. Fructus maturescentis styli divaricati, pilis pubescentes simplicibus scabris, quos *Schkuhrius* l. c. plumosos vidit.

Inter synonyma in Spec. pl. ed Willd. II. p. 1247. allata, etiam Lob. ic. 26. enumeratur. Sed *Lobelio* ut ceteris antiquioribus ante *Cornutum*, haec species incognita fuit. Legendum itaque Rob. ic. 26.

Habitat in fissuris rupium a Canada ad Carolinam usque (*Pursh*). Etiam in Sibiria semel legit Cl. *Pallas* (It. III. p. 230).

5. *A. viridiflora* Ait. Kew. II. p. 248.

*Aquilegia* labellis petalo obtuso longioribus; staminibus petalum subaequantibus.

*Aquilegia viridiflora* Willd. l. c. cum synonymis *Pallasii*, *Murrayi*, *Jacquini* et *Retzii*.

Variat  $\beta$ ) floribus atropurpureis.

*Aquil. atropurpurea* Willd. Enum. pl. h. Berol. p. 577.

Cl. *Willdenovius* hanc labellis petala stylos staminaque aequantibus vult a *A. viridiflora* distingui: sed in planta, quam in horto per plures annos aluimus, petala semper labellis staminibusque breviora, stylos autem illis longiora vidimus. Semina huic granulata sunt, quae laevissima in *A. vulgari*.

Habitat in Sibiria.

---

## Species inquirendae.

*Aquilegia sylvarum humilis* Gmel. Sibir. IV. p. 186. t. 74.

*Aquilegia corniculata* Vill. hort. Argentor. p. 250. Tribuitur illi „nectarium re-  
ctum, flos parvus viridescens.“ Dubitat tamen Cl. auctor, num sit spe-  
cies vel varietas, ad quam refert *Aquil. corniculatam* flor. albo minori  
Barrel. ic. 31., quae certe *Aquil. vulgaris* mera est varietas.

*Aquilegia glandulosa* h. Gorenk. (Spreng. Cat. sem. h. Halens. a. 1816).

## Explicatio iconum.

Tab. I. Delphinium flexuosum M. Bieberst. e specimine Caucasio.

Tab. II. Aquilegia viscosa Linn. e specimine inter Pontiebo et Rissiota in Italia superiori lecto. Litt. a. Delphini flexuosi M. B. flos. b. nectarium superius. c. nectar. inferius. d. pedunculus cum bracteis stylisque. e. Delph. peregrini Linn. flos. f. nectar. inferius. g. nectar. superius. h. Delph. punicei P. flos. i. nect. superius. k. nect. inferius. l. pedunculus cum bracteis et stylis. m. Delph. Staphysagriae L. flos. n. nectar. inferius. o. nectar. superius.

### A d d e n d a e t E m e n d a n d a.

- Pag. 4 Lin. II loc. horum leg. harum.  
— 6 — 2 loc. non leg. vix. Cl. *Seenus* enim in descriptione Delph. Staphysagriae (It. Dalmat. p. 40.) eodem modo partes has designat.  
— — — 24 Delph. intermedio, fisso etc. adde D. Ajacis.  
— 7 — 4 loc. brachito leg. brachiato.  
— 8 — 16 exclude: vel Ajacis.  
— — — 19 exclude: et Ajacis, tum a D. ambiguo L.  
— 10 — 16 loc. ipse possideo leg. ipsi possidemus.  
— 11 — 1 haec descriptio Delph. Staphysagriae, quam Cl. *Seenus* in It. Dalm. p. 39. proponit, ob „folia 7-palmata, lobis trifidis acuminatis“ potius varietatem  $\beta$ . designat.  
— 13 Inter Delph. elatum Mattuschk. et D. intermedium Host. collocetur Delph. hirsutum Roth Beytr. II. p. 88. c. descr.  
— — — Delph. intermedii variet.  $\beta$ . synonymis adde: Delph. elatum Roth. I. c. p. 87.

- Pag. 15 — 1 loc. varietatis leg. varietates.  
— — — 8 adde: in montibus Delphinatus (*Villars*).  
— 16 — 23 exclude: germinib. glabris. Caucasica enim specimina, ab amiciss. *Blume* M. D. Astrachanensi nunc missa sunt, quorum capsulae immaturae tomentum evidens habent.  
— 17 — 25 loc. habeo leg. habemus.  
— 18 — 5 exclude: stylis pubescentibus vel tomentosus, secundum ea, quae supra annotavimus.  
— 19 — — ad Delphin. dahuricum Bess. haec nota: *Delphinium Cheilanthis* Fisch. quod fide Cl. *Besseri* huc retulimus, monente amiciss. *Fischer*o in litt. est Gmel Sibir. IV. t. 76. quam iconem supra ut D. intermedii var.  $\lambda$ . recensuimus, nullam praeter calcar apice bifidum ab hac specie differentiam tunc observantes.  
— 21 — 7 loc. Isopynon leg. Isopyron.  
— — — 14 add. Vill Delph. III p. 708.  
— — — 19 loc. conjugi leg. conjungi.  
— 21 — — *Aquil. vulgaris* var.  $\delta$ . synonymis adde: *Aquilegia* (sibirica) caule nudo, flor. caeruleis annulo albo donatis Lam. Dict. I p. 150. c. descr.  
— 24 — 5 loc. A. alpina leg. A. alpina  $\beta$ .  
— 25 — 15 in fine adde: idque bene, quoad specimen, quod Cl. *Schottio* debemus, in Austria lectum et plantae Monspeliensi omnimode conveniens. Idem esto iudicium de *Aqu. alpina* Vill. Delph. III. p. 708.  
— 26 — — *Aquil. viridiflorae* Ait. synonymis adde: *Aquilegia* (lutea) fol. parvis triternatis, foliolor. lobis divaricatis; corniculis florum longis vix incurvis, Lam. Dict. I. p. 149 c. descr. (excluso synonymo *A. viscosae* Gou.)

UB Wien



+AM505884902



*Delphinium flexuosum*. MB.  
L. C. T. del.

UB Wien



+AM505884902





*Aquilegia viscosa* Linn.

UB Wien



+AM505884902



